

/ R^{de} atque eruditissime D^{ne}. Accepi tandem duo volumina iam
dudum mihi a tua charitate promissa. Nescio quid magis mirer, eru-
ditionem scriptoris, an typographi diligentiam, an industriam com-
positoris: sunt enim omnia eximia, et admiranda, in genere suo, ut
5 munus plane regium esse videatur. Ago itaque tibi ingentes gratias,
atque hortor ut pergas Ecclesiam Dei laboribus tuis tam fructuosis
locupletare, et ornare. Quod autem meo nomini annotationes in vari-
as lectiones novi testamenti dicare volueris, gratissimum fuit,
atque ubi per ocium licuerit eas perlegere, (nunc enim gravissi-
10 mis occupationibus implicatos nos tenet periculum Venetorum) si
videro textum ipsum certo in melius alicubi posse mutari, signifi-
cabo id Summo Pontifici, et cardinalibus deputatis. Sed tu ipse
plane vides non facile eiusmodi mutationes in sacro textu esse fa-
ciendas, quamvis utilissimum sit, ut viri docti tum de variis lec-
15 tionibus, tum de iudicio peritorum hominum, tui similibus, admone-
antur. Vale, et pro me Deum precare, quod ego pro te vicissim fa-
ciam, doctissime, mihi que amicissime. Datum Romae, die primo nove-
mbris 1606.

Archiv. Vatic. Mss. Gesuit. 22, epist. LX.

Le Bachet: Bellarmin et la bible sous Clément IX, Paris 1911

p. 173